Chrismon: A P Ω

Sit presens scriptum notum omnibus tam presentibus quam futuris quod ego ALDEFONSUS Dei gratia Rex Castelle et Toleti una cum uxore mea Alienor Regina et cum filiis meis Ferrando et Henrrico concedo et confirmo Concilio Toletano sicut fecit pater meus Rex ALDEFONSUS bone memorie: quod omnes uille et aldee que sunt in termino Toleti siue sunt mee: siue de apotega mea. siue domini Toletani archiepiscopi. siue ecclesie sancte Marie: siue Salue terre: siue hospitalis. siue milicie templi. siue ordinis de Ucles. siue militis. siue cuiuscumque hominis: faciendam faciant cum ciuitate Toleti. sicut faciunt ciues illius ciuitatis. Tamen excipimus ab hac generalitate Illescas que fuit propria hereditas Imperatoris et Olmos et Ocanam et Montalban cum suo termino que nunquam hoc fecit. Uerumtamen de uillis domini archiepiscopi et aldeis et ecclesie sancte Marie: mandamus ita. quod pectam et faciendam quam semper credimus illos debere facere cum ciuibus Toletanis: faciant eam non per manum eorum. set per manu hominis domini archiepiscopi. qui colligat et det eam alcaldibus Toleti. Non enim uolumus quod alcaldes uel ciues Toletani habeant aliquam potestatem uel aliqua premiam super homines archiepiscopi et ecclesie sancte Marie: et cum ista pecta quam facient ciuibus Toletanis: sint liberi et imunes ab omni pecta et facienda Regis. Et si ego uel filius meus aut aliquis de genere meo uoluerit aliam pectam uel aliam faciendam habere de hominibus supradictis domini archiepiscopi et ecclesie sancte Marie: non teneant aliquam pectam uel faciendam facere cum ciuibus Toletanis. Siquis uero hanc cartam infringere uel diminuere presumpserit. iram Dei omnipotentis plenarie incurrat. et cum Iuda domini proditore suppliciis infernalibus subiaceat. et insuper Regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dampnum quod super hoc intulerit: duplicatum restituat. Facta carta apud Alarconem Era M. CC. uicesima. Regni mei anno XXVI. III. die Februarii: Et ego Rex A. regnans in Castella et in Toleto hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo. Martinus Toletane sedis archiepiscopus Hispaniarum primas conf. conf. conf.

Adericus	Palentinus	episcopus	conf.	Aluarus	nuni conf.
Garsias	Burgensis	episcopus	conf.	Rodericus	didaci conf.
Didacus	Oxomensis	episcopus	conf.	Gomicius	petri conf.
Rodericus	Segontinus	episcopus	conf.	Rodericus	rodrici conf.
Gondisaluus	Secobiensis	episcopus	conf.	Ferrandus	aluari conf.
Petrus	Abulensis	episcopus	conf.	Martinus	petri conf.
Iulianus	Conchensis	episcopus	conf.	Guillelmus	gonsalui conf.
Iohannes	Calagurritanus	episcopus	conf.	Garsias rodrici	merinus Regis in Castella conf.



Dominicus domini Regis notarius Abbas Uallisoleti Didaco Garsie existente cancellario scripsit